

rum appellatione decernerent. Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo de jecerint eum, & appellasse Episcopus videatur, & confugerit ad beatiss. Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat, causam suam iterum audiri deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi Romani, quid velit, & quid existimet; & si decrevit mittendos esse, qui præsentibus cum Episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit sufficere Episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientiss. consilio suo judicaverit.

*Hoc Commitorium, seu, Memoriale integrum non est, ut ex sequenti Epistola Synodi ad Bonifacium apparet; sicut nec Epistola horum trium Paparum ad Synodum adsunt; quæ omnia fraude Papistarum interversa esse, verisimile est.*

## III.

Et cum recitaret Alipius Episcopus Tagastensis, Legatos provinciæ Numidiæ, dixit: De hoc jam superioribus etiam literis Concilii nostri rescripsimus, & id nos servaturos profitemur, quod in Nicæno Consilio constitutum est. Adhuc tamen me movet, quoniam cum inspiceremus Græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, ista ibi nescio quâ ratione minimè invenimus. Unde petimus venerationem tuam, sancte Papa Aureli, ut quia hoc authenticum Concilium Nicænum in urbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos cum scriptis tuæ Sanctitatis mittere digneris; & non solum ad ipsum sanctum fratrem nostrum Constantinopolitanum Episcopum, sed etiam ad Alexandrinum & Antiochenum venerabiles Sacerdotes, qui hoc nobis Concilium sub stipulatione literarum suarum dirigant, ut omnis postmodum ambiguitas auferatur; quia nos ita, ut frater Faustinus attulit, minimè invenimus. Ista nos tamen tantisper servaturos (ut antea dixi) donec integra exemplaria veniant, profitemur. Petendus est autem literis nostris & venerabilis Ecclesiæ Romanæ Episcopus Bonifacius, ut ipse quoque dignetur ad memoratas Ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria prædicti Nicæni Concilii secundum ejus possint scripta proferre. Nunc autem memorati Concilii Nicæni, qualia exemplaria habemus, his gestis sociemus.

## V.

Faustinus Episcopus Legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: Nec vestra Sanctitas præjudicet Ecclesiæ Romanæ, sive de hoc capitulo, sive de aliis; quia dicere dignatus est frater noster & Coepiscopus Alipius, dubios esse canones, &c.

## D

## VII. Au.